

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Gebri Arabis Chimia

Geber

Lugduni Batavorum, 1668

De impedimentis externis opus impredientibus. Cap. VI

[urn:nbn:de:bsz:31-95581](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-95581)

nim qui eam ignoraverit, vel ipsam investigare neglexerit ad ipsam perveniet?

De impedimentis externis opus impedientibus.

CAP. VI.

REduximus ad duo capitula impedimenta hujus magisterii omnia, ipsius finem retardantia, quæ sunt ex principiis radicalibus secundum naturam artificis. Expediit ergo tantum nunc narrare impedimenta extrinsecè supervenientia, à contingentibus fortunis & casibus, quibus impeditur hoc opus gloriosum. Videmus enim quosdam ingeniosos & astutos, non ignorantes opera naturæ, & eam in hoc opere, in quibus fuerat possibile, sequentes principiis, & in omnibus ejus operibus, quibus est investigatio & phantasia, in omnibus rebus, quæ naturæ regulantur actionibus, infra lunarem circulum, hi tamen ultima paupertate depressi, & impensæ omnis indigentia hoc tam excellentissimum magisterium coguntur postponere. Sunt & alii curiosi, hujus mundi vanitatibus, curis & sollicitudinibus detenti seq; omni negotio seculari totos occupantes, à quibus hæc nostra scientia preciosa refugit. Jam ergo patet ex prædictis, quæ sunt ab hac arte retrahen-

trahentia impedimenta, ne quis finem ejus adipiscatur.

Epilogus qualem oporteat esse artificem.

C A P. VII.

C Oncludimus igitur ex prædictis, quod artificem hujus artis in scientiis philosophiæ naturalis optime eruditum esse, & ingenium naturaliter profundum habere, cum magno desiderio fervente in hoc artificio. Quia id quod per ingenium naturale non acquiritur, huic per artem & doctrinam subvenitur. Oportet igitur altissima perscrutatione & industria naturali adjuvari. Per doctrinam enim quantumcunque scientiam acquisiverit, nisi ab industria etiam juvetur naturali, ad nostras epulas tam preciosissimas non invitabitur. In puncto enim errorem suum emendare poterit per suam industriam, cui remedium ignoraret adhibere, si sola doctrina fundatus foret, quoniam ars ab ingenio, & ingenium ab arte juvatur. Insuper necesse est ipsum artificem esse constantis voluntatis in operatione, ne modo hoc, modo illud attentare præsumat, quia in rerum multitudine ars nostra non consistit, nec perficitur. *Est enim lapis unus: medicina una: decoctio una: in quo totum magisterium consistit, cui non addimus rem extraneam ali-*

A 5

quam,